

§. 20.

Accedit ratio valde singularis, quæ in primis pubescen-
tiam in alpibus efficere videtur.

Grassantur tempestates turbulentæ in alpibus, ventus-
 que vehemens, in primis aquilonis et cauri, qui summa vi
 maximaque celeritate, cuncta, quæ moveri possunt, ra-
 piunt ac secum ferunt.

Hinc ventus aquilo, oriens e septemtrione, nunquam
 non dura spirans; illinc zephyrus caurique hiberni una
 consurgunt, altisque montium parietibus repulsi, horsum
 versum luctantur, ut tanto majori impetu per claustra mon-
 tium, arctissimasque alpium fauces irruant p). Hi cuncta,

p) Harum rerum, quarum supra mentionem fecimus, nescio, an ulla
 habeatur fides, licet comperta non minus quam audita refero, de
 tempestatibus contrarie luctantibus, quibus et ipse sæpe interfui.
 Ventus est Norvegiæ præsertim septemtrionalis, simul cum maris æstu
 oriens e Septemtrione; et incolis Nordlandiæ nomine *Sö-kulen* alias
 Svetice: *Hafs-gålan* notus. Hic quidem flatus communiter spirat
 quotidie, incipiens hora post meridiem quartam, et in multam noctem,
 nullis aliis obstantibus tempestatibus, perseverat; licet vis ejus haud
 procul ab ostio sinus, cuius ab ortu oritur aquarum mole ex ocea-
 no influentium, vehementior, et quo longius ad interiora sinus itur,
 per claustra montium locorumque angusta concitata, increbescit jugo
 tenus. In hoc discrimine rērum, id est summo alpium jugo, alteri
 obviam itur vento, cuius ab ortu solis haud minori impetu cursus,